



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. De Matrimonii Impedimentis in genere. Quinam possit ea statuere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

*Si Parochi, & duplicis desit presentia testis,
Raptave sit mulier, nec pueri addita tuta:
Hæc facienda vetant connubia, facta resstant.*

Impedimenta vero impediunt solum impediunt, ne licite, non autem ne valide contrahatur matrimonium; ut sunt Interdictum, seu prohibitio Ecclesiæ, quando scilicet de aliquo impedimento ulterius inquirendum sit; Votum castitatis, Catechismus, Tempus feriatum, & aliqua crimina, de quibus dicemus art. ult. hujus quæst. Hæc autem omnia ad subsidium memoriæ his aliis verbis continentur.

*Ecclesia vetitum, necnon tempus feriarum,
Atque Catechismus, Votum, Sponsalia, Crimen,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

His adde Clandestinitatem in iis locis, in quibus non est receptum Tridentinum (ea enim impedit, licet non dirimat in iis locis matrimonium;) necnon omissionem proclamationum, & omissionem benedictionis, juxta dicta art. 2. quæst. super. Sub eo tamen verbo, *Crimen*, varia Crimina, quæ comprehenduntur, & matrimonium impediunt, (ubi desuetudine non sit sublatum tale impedimentum) his aliis etiam verbis continentur.

*Incestus, Raptus sponsata, Mors mulieris,
Suscepius propria sobolis, mors Presbyteralis,
Aut si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.*

Antequam de impedimentis, tam dirimentibus, quam impediuntibus sigillatim agamus, præmittenda nonnulla sunt de impedimentis in genere. Ideo sit.

ARTICULUS I.

De Matrimonii impedimentis in genere; Quinam possit ea statuere?

- I. Solus Pontifex statuere potest impedimenta matrimonii dirimentia.
- II. Non est verum, quod possit Episcopus pro sua Urbe, quicquid potest Pontifex pro toto Orbe.
- III. Quamvis Principes baptizati, seclusa prohibitione Ecclesiæ, statuere possint leges circa contractum matrimonialem fidelium; Hanc tamen potestatem sibi Pontifex reservavit.
- IV. Unversim est mortale contrahere matrimonium cum impedimento dirimente; sed probabiliter non est sacrilegium.

V. Quomodo possit quis sine sacrilegio simulare etiam absolutionem Sacramentalem?

VI. Validum est matrimonium, etiam si per clausulam generalem Pontifex irritet quicquid fiat contra aliquam legem, in qua etiam matrimonium prohibeatur.

I. **Q**uæritur primo; An jure positivo statui possint impedimenta matrimonii dirimentia, sive a Pontifice, sive ab Episcopo, sive a Principe seculari, sive ex consuetudine?

Respondeo, & dico primo, dari in Ecclesia, atque adeo in Pontifice, potestatem statuendi impedimenta matrimonii, tam dirimentia, quam impediuntia. Constat, tum ex Tridentino sess. 24. can. 4, tum auctoritate Pontificum, a quibus varia hujusmodi

modi impedimenta constituta sunt; tum demum ratione, quia Ecclesia potest, & irritare, & prohibere contractus, quando non sunt sub certis conditionibus, & sub certa forma; ergo potest in contractu matrimoniali statuere impedimenta, tam dirimentia, quam impediencia. Ex quo patet, Ecclesiam non posse directe apponere impedimenta Sacramento a Christo Domino instituto, sed solum indirecte, tollendo ejus fundamentum, seu efficiendo, ne sit contractus legitimus, seu materia Sacramenti id, quod esset ceteroqui talis: Sicut tollendo alieni jurisdictionem, impedit, quominus verba illa: Ego te absolvo, ab eo prolata, sint forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Dubium est; An impedimenta matrimonii constituta a Pontifice obligent etiam Infideles?

Respondeo, obligare solos Christianos, non vero Infideles: quippe qui non sunt subditi legibus Ecclesiasticis: Si tamen aliqui Infideles inhabitarent in locis subditis temporali jurisdictioni Pontificis, puta Romæ, in tali casu Pontifex, non tamquam Princeps Ecclesiasticus, sed tamquam temporalis, statuendo hæc impedimenta, etiam illos obligaret. Ratio est, quia etiam Princeps supremus infidelis potest statuere impedimenta dirimentia matrimonii subditis suis infidelibus, ut mox dicemus; Sicut possunt Principes sæculares ferre leges irritantes quoscumque contractus, si non celebrentur sub determinatis conditionibus; ergo potest hoc etiam Pontifex, tamquam Princeps supremus temporalis relate ad loca temporali suæ jurisdictioni directe subiecta.

Dico secundo; Probabilius esse, hanc potestatem statuendi impedimenta matrimonii non competere Episcopis pro sua Diocesi. Ita Con., Perez disp. 21. sect. 4. contra Sanch. disp.

7. sect. 1., Pont. Mart. disp. 12. diffinitio 2. Probatur primo, quia Episcopi ratione proprii Officii non habent jurisdictionem ullam jure divino, ut patet in Episcopis titularibus, sed eam accipiunt jure Ecclesiastico a Pontifice, majorem, vel minorem pro ejus arbitrio; ergo jure divino non possunt ferre legem ullam; & consequenter nec statuere impedimenta matrimonii; atqui neque possunt id efficere jure Ecclesiastico, quia nullum tale jus afferri potest; ergo simpliciter non possunt statuere impedimenta matrimonii.

Probatur secundo, quia per impedimenta matrimonium irritatur directe, & per se, in quantum est contractus civilis, & solum indirecte, in quantum est Sacramentum; ergo ille tantum statuere potest impedimenta irritantia contractum matrimonialem, qui potest contractus civiles irritare; contractus autem civiles ille tantum irritare potest, qui habet jurisdictionem in res temporales: ut est Princeps sæcularis, & Pontifex; quippe qui circa res omnes temporales potestatem habet indirectam, ut de eis disponat, quatenus expedit bono spirituali fidelium; Quod ex eo constat, quia sicut in composito humano constat ex anima, & corpore, corpus est subditum Spiritui, ita in Republica Christiana temporale subditum spirituali, & contra rationem omnino esset, si in iis, quæ ad civilem, & spirituales gubernationem pertinent, ut est contractus matrimonialis, aut potestas temporalis, & politica non subordinaretur spirituali, aut neutra alteri subordinaretur: Contra vero Episcopus hanc potestatem indirectam in res temporales non habet a Deo sibi concessam, sicut habet Pontifex; non enim Episcopus potest circa res civiles quicquam statuere, invitis Principibus sæcularibus, quantumcumque hoc

hoc expediat saluti fidelium, nisi eorum saluti esset omnino necessarium; in quo solo casu tenentur omnes Magistratus civiles Episcopis obedire jure naturali divino; ergo cum statuere impedimenta matrimonii non sit omnino necessarium saluti fidelium, non possunt Episcopi ea statuere.

II. Neque dicas cum Sanch. lib. 1. disp. 61., Henr., Sot., & aliis: Quicquid potest Pontifex per totum Orbem, potest Episcopus pro sua Diœcesi, nisi expresse a Papa prohibeatur; Sicut enim Pontifex est Pastor ordinarius pro toto Orbe, ita Episcopus pro sua Diœcesi, licet illi subordinatus; ergo sicut potest Pontifex pro tota Ecclesia statuere impedimenta matrimonii, ita potest Episcopus pro sua Diœcesi, cum id a Pontifice nusquam prohibeatur.

Nam contra est, quia Suar. tom. 5. in 3. p. de Censuris disp. 7. ostendit, axioma hoc esse falsum, cum in nullo jure, aut ratione fundetur; & a posteriori constet oppositum; nam primo, Episcopus non potest pro sua Diœcesi instituere censuras, sicut potest Papa; & tamen hoc illi nullibi prohibetur. Secundo, non potest Episcopus statuere, ut matrimonium ratione alicujus delicti patrati a contrahentibus sit nullum, sicut potest Papa. Tertio, non potest Episcopus dispensare in gradibus prohibitis ad contrahendum matrimonium; quamvis hoc expresse Episcopo non prohibeatur. Quarto, ut notat Salas de legibus disp. 2. sect. 3., in multis irregularitatibus non possunt Episcopi dispensare, quamvis circa illas non inveniatur expressa prohibitio, sed solum non cœcessio. Quinto, nec potest Episcopus dispensare in matrimonio rato non consummato; nec in voto solemnium; nec concedere indulgentias plenarias; nec committere Presbytero ministerium Sacramenti Confir-

Part VII.

mationis, vel Ordinis, ut potest Pontifex, saltem quoad minores; nec alia, quæ enumerat Dian. part. 8. tract. 3. resol. 11. ex Suar. lib. 6. de legibus cap. 14. Demum ipse Sanch. lib. 1. disp. 16. notat, quod solus Pontifex possit dispensare in Sponsalibus, eo quod per sponsalia acquisitum sit jus a Tertio; Ex quo omnes Doctores docent, quod Episcopus non possit relaxare juramentum Tertio præstitum. Et ratio est, quia nemo, præter supremum Principem, potest auferre jus a Tertio acquisitum.

Verum quidem est, quod possit Episcopus absolvere, sicut Pontifex, quoties illi hoc non prohibetur. Ratio tamen est, quia hoc spectat ad salutem Animarum suæ curæ commissarum. Hinc tamen non sequitur, quod possit Episcopus statuere impedimenta matrimonii, sicut potest Pontifex. Non negatur, quod Episcopus sit Pastor Ordinarius pro sua Diœcesi, sicut Pontifex est Ordinarius Pastor pro toto Orbe; ex hoc autem solum sequitur, quod possit condere leges circa res spirituales saluti suorum subditorum expedientes; non vero, quod possit condere leges circa res civiles, quantumcumque conducant ad bonum spirituale, nisi quando sunt omnino necessariae saluti subditorum; quod non habetur in casu nostro; & consequenter non possunt Episcopi statuere impedimenta matrimonii.

Dico tertio; Principes infideles suppremi possunt statuere impedimenta matrimonii, quibus obligentur omnes subditi temporales, tam fideles, quam infideles. Ratio ex D. Th. in 4. dist. 39. est, quia circa omnes contractus civiles possunt hujusmodi Principes ferre leges suas ad tranquillitatem, & bonum Reipublicæ; ergo sicut possunt, verbi gratia Prodigos, & Pupillos reddere inhabiles relate ad alios

P

con-

contractus; ita possent, verbi gratia, Parricidas reddere inhabiles ad contrahendum matrimonium; & consequenter possunt statuere impedimenta matrimonii.

III. Dico quarto; Principes baptizati non solum circa matrimonium Infidelium sibi subiectorum, sed etiam circa matrimonium fidelium, quod est Sacramentum, possunt statuere impedimenta, tam dirimentia, quam impedientia, seclusa prohibitione Ecclesiae. Ita Sanch. disp. 3., Perez sect. 5. contra Pont. Ratio est, quia matrimonium est contractus civilis, non minus quam alii; ergo eodem modo subicitur potestati politicae, ac reliqui contractus. Ex hoc autem, quod matrimonium fidelium sit etiam Sacramentum, non fit, vel quod vere non sit contractus civilis subiectus potestati saeculari, vel quod Princeps saecularis aliquid possit directe in Sacramenta, sed indirecte tantum: Nec aliter potest ipsa Ecclesia, quae non potest se ingerere directe ad materiam, vel formam Sacramentorum institutam a Christo Domino. Dixi tamen, posse id Principes baptizatos, seclusa prohibitione Ecclesiae; Nam de facto Pontifex reservavit sibi hanc potestatem statuendi leges circa matrimonium fidelium; quod constat, tum ex usu Ecclesiae; tum ex cap. *Tuam, de Ordine cognitionis*, ubi deciditur, causas matrimonii ad solius Ecclesiae forum pertinere.

Dico ultimo cum Sanch. lib. 7. disp. 4., Con. Perez contra Pont. Probabile est, per consuetudinem posse nova impedimenta matrimonii induci, & inducta auferri. Ratio est, quia consuetudo vim habet inducendi novam legem, & inductam abrogandi ex cap. *fin. de Consuetudine*. Et confirmatur, quia aliter sequerentur gravissima incommoda; quandoquidem in iis locis, ubi consuetudo est

in contrarium, inevitabiliter plurimi sine ulla sua culpa matrimonia irrita contraherent; quod repugnat intentioni Pontificis eas leges condendi.

IV. Quaeritur secundo; Qualis culpa sit contrahere matrimonium cum aliquo impedimento?

Respondeo cum communi, esse peccatum mortale contrahere cum impedimento dirimente; quia violatur praecipuum in re gravi: Est etiam peccatum mortale contrahere cum aliquo ex iis tribus tantum impedimentis impedientibus, quae sunt Prohibitio Ecclesiae, Sponsalia, & Votum, ut patet: Alia vero impedimenta impedientia (scilicet Catechismus, & Crimen) non amplius obligant ob deluetudinem, ut dicemus art. ult. huius quaest. Unde si quis cum iis contraheret, non peccaret. Ubi adverte, tempore feriarum prohiberi solum benedictionem nuptiarum, & solemnem sponsae in domum sponsi traductionem, non vero matrimonium contrahere, aut consummare.

Dubium est; An sit Sacrilegium contrahere matrimonium cum impedimento dirimente?

Affirmat Con. disp. 30. dub. 2., quia contra reverentiam Sacramenti redderetur illud irritum. Sanch. tamen lib. 7. disp. 5., Perez, Hurt. negant; quia ad irritandum Sacramentum requiritur, ut ponatur id, cui ex institutione divina convenit ratio Sacramenti, & quod ponatur, aut sine requisitis essentialibus, aut cum obice ad fructum Sacramenti; Ut si quis vellet sibi conferri baptismum, & non haberet intentionem suscipiendi illum: aut si vellet Sacramentum cum mortali suscipere: At in casu nostro, cum non ponatur contractus validus, non ponitur id, cui ex institutione divina competit ratio Sacramenti; ergo non irritatur matrimonii Sacramentum, contrahendo cum impedimen-

mento dirimente, & consequenter non committitur Sacrilegium.

V. Dices: Si quis fingeret consecrare papyraceam hostiam metu mortis coactus, aut si fingeret dare absolutionem Sacramentalem, non profereudo formam absolutoriam, sed dicendo, verbi gratia, Dominus te absolvat; committeret Sacrilegium, quamvis non poneret veram materiam, aut formam Sacramenti; ergo etiam in casu nostro; quamvis non sit materia, & forma Sacramenti consensus positus ab habentibus impedimentum dirimens, tamen committitur sacrilegium, si cum tali impedimento fingatur contractus matrimonialis.

Respondeo, distinguendum esse antecedens: Si ab incutiente metu id exigatur in contemptum Sacramenti, conceditur; si vero id non exigatur in contemptum Sacramenti, sed fingat Sacerdos, verbi gratia, conferre absolutionem sacramentalem indisposito, ut alii existiment, quod susceperit Sacramentum Pœnitentiæ: Immo, ut multi putant apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 47. (quibus non subscribo) si fingatur dari hostia consecrata sine periculo idololatriæ materialis peccatori occulto; negatur antecedens, & consequentia. Certe si quis metum mortis incuteret ad contrahendum matrimonium cum impedimento dirimente in contemptum Sacramenti matrimonii, procul dubio sacrilegium committeretur contrahendo cum tali impedimento: Quod si non exigatur matrimonium in contemptum Sacramenti, sacrilegium non committitur: Quamvis peccetur mortaliter, ut diximus quæst. 4. art. 1., si simuletur contractus matrimonialis cum impedimento jure naturæ dirimente, ut est consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ; quia est peccatum mortale simulare id, quod est intrinsece grave malum, verbi gratia, simulare adora-

tionem idoli.

Replicabis: Est etiam intrinsece malum dare absolutionem Sacramentalem indisposito: ergo si quis metu mortis, aut alia de causa fingeret dare absolutionem Sacramentalem indisposito, semper peccaret mortaliter.

Respondeo si simularet dare absolutionem indisposito qua tali, concedo; si vero simularet dare absolutionem alicui, ut putetur bene dispositus, nego antecedens, & consequentiam.

VI. Quæritur ultimo; An si Papa prohibeat alicui matrimonium, eo ipso censeatur illud dirimere, ita ut non solum illicite, sed etiam invalide contrahatur?

Respondeo, Si Papa solum prohibeat matrimonium sine clausula irritante, certum est, quod talis prohibitio non sit impedimentum dirimens, sed solum impediens; secus vero si prohibeat cum clausula illud in specie irritante. Quod si prohibitio sit tantum cum clausula irritante generali, seu quæ solum generatim irritet quicquid fuerit contra prohibitionem factum, nulla facta speciali mentione matrimonii; Communiter Doctores apud Perez disp. 22. sect. 6. docent, quod matrimonium contra talem prohibitionem factum sit validum; quia cum matrimonium sit res adeo ardua, & gravissimum negotium sit illud irritare, exposcit clausulam irritantem, qua specialis mentio de illo fiat: Unde per clausulam illam generalem solum censeatur irritari quicquid fuerit factum in præjudicium Tertii, quin censeatur irritari etiam contractum matrimonialem, de quo non fit mentio.